

A henfibilis, fulgura coruscationem, & diffipa eos ut non uideant uanitatē. Flumina multi- *psal. 17*
 plica & conturba eos, ut appareant fontes aquarum, & reuelentur fundamenta orbis terra-
 rum. Tribue uisum lux inuisibilis, qui te uideat. Crea nouum olfactum odor uitæ, qui post
 te currat in odorem unguentorum tuorum. Gustum sana qui sapiat, & cognoscat & discer-
 nat, quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te, siue
 his qui pleni sunt charitatis tuæ. Da cor quod te cogitet, animum qui te diligat, mentē quæ
 te recolat, intellectum qui te intelligat, rationē quæ tibi semper summo delectabili fortiter
 adhæreat. Te semper amor sapiens diligat. O uita cui omnia uiuunt, uita quæ das mihi ui-
 tam, uita quæ es mea uita: per quā uiuo, sine qua morior: uita per quam resuscitor, sine qua
 pereor: uita per quā gaudeo, sine qua tribulor: uita uitalis, dulcis & amabilis, semper memo-
 rialis. Vbi quæso es, ubi te inueniam, ut in me deficiam & in te subsistam? Prope esto in ani-
 mo, prope in corde, prope in ore, prope in auribus, prope in auxilio, quia amore languero,
 quia sine te morior, quia te recolens suscitator. Odor tuus me recreat, memoria tua me sanat,
 sed satiabor cum apparuerit gloria tua uita animæ meæ, Concupiscit & deficit anima mea
 de memoria tua, quādo ueniam & apparebo tibi lætitia mea? Quare faciem tuam auertis,
 gaudium meum per quod gaudeo: ubi est absconditus pulcher quem desidero? Odorem
 tuum haurio, uiuo, & gaudeo. Te autem nō uideo, uocem tuam audio & reuiuifco. Sed cur
 faciem tuam abscondis? forte dicis, Non uidebit me homo & uiuet. Eia domine moriar ut *Exod. 35*
 te uideam, uideam ut hic moriar. Nolo uiuere, uolo mori, dissolui cupio & esse cum Chri- *psal. 1*
 sto. Mori desidero ut uideā Christū, uiuere renuo ut uiuā cū Christo. O domine Iesu acci-
 pe spiritū meū, uita mea suscipe animā meā. Gaudiū meum attrahe cor meum, dulcis cibus
 meus comedā te. Caput meū, dirige me: lumen oculorum meorū illumina me: melos meū
 tēpera me, odor meus uiuifica me, uerbū dei re- *o a me.* Laus mea lætifica animam serui tui,
 intra in eam gaudiū meū, ut in te gaudeat: intra in eā dulcedo summa, ut dulcia sapiat. Lu-
 men æternū illustra super eā ut te intelligat, cognoscat & diligat. Ob hoc enim nō te diligit
 domine, si non diligit, quia non te cognoscit: & te ideo non cognoscit, quia non intelligit: &
 idcirco non intelligit, quia lumen tuum non comprehendit, & lux in tenebris lucet, & tene-
 bræ eam non comprehenderunt. O lux mentis, o lucens ueritas, o uera claritas, quæ illumi-
 nas omnem hominem uenientem in hunc mundum, uenientem quidem, sed nō diligentē,
 quia qui diligit mundum inimicus dei constituitur. Expelle tenebras de super faciem abyssi
 mentis meæ, ut uideat te intelligendo, ut cognoscat te comprehendendo, ut diligat te cogno-
 scendo. Quisquis enim cognoscit te diligit te, se obliuiscitur, amat te plus quàm se, relinquit
 se & uenit ad te, ut gaudeat de te. Hinc est ergo domine quod non tantum diligo quan-
 tum debeo, quia non plene cognosco te. Sed quia parum cognosco, parum diligo: & quia
 parum diligo, parum in te gaudeo: sed à te uero gaudio interiori per exteriora recedēs, dum
 te solo careo adulterinas amicitias in his exterioribus quæro. Et sic miser ego cor meū quod
 tibi soli debui toto amore totoq; affectu impēdere, uanis dedi: & ideo uanus effectus sum,
 dum uanitatē dilexi. Hinc etiam est domine quod in te nō gaudeo, & tibi non adhæreo:
 quia ego in exterioribus, tu in interioribus: ego in temporalibus, tu in spiritalibus: ego in
 transitorijs animo diffundor, cogitatione uersor, locutione implicor, & tu domine in æter-
 nis habitas, & æternitas es: tu in cælo, ego in terra: tu diligis alta, ego infima: tu cælestia, ego
 terrestria. Et quando poterunt hæc contraria conuenire? Miser ego quando *De miseria &*
 poterit obliquitas mea tuæ rectitudini adæquari? Tu domine diligis solitudinem, ego mul- *fragilitate ho-*
 titudinem: tu silentium, ego clamorem: tu ueritatem, ego uanitatē: tu mundiciam, ego im- *minis*
 mundiciam sequor. Quid plura domine? Tu uero bonus, ego malus: tu pius, ego impius: tu *Cap. II*
 sanctus, ego miser: tu iustus, ego iniustus: tu lux, ego cæcus: tu uita, ego mortuus: tu medici-
 na, ego ager: tu gaudium, ego tristitia: tu summa ueritas, ego uniuersa uanitas, ut omnis ho-
 mo uiuens. Heu quid igitur o creator dicam? audi o creator, Creatura tua sum, iam perij: cre-
 atura tua sum, iam morior. Factura tua sum, iam ad nihilum redigor: plasma tuum sum:

X Manus